

SECUNDIS NUPTIIS

VIRI

Nobilissimi, Amplissimi & Consultissimi

**DN. GERHARDI
THOMÆ,**

Reip. Thorun. CONSULIS, Gymnasii
Scholarchæ, Quæstorisque Primi
meritissimi,

Et

Nobilissima suiq; Sexûs Virtutibus decoratissima

DN. REGINÆ
natalibus **SCHROEDERÆ,**

Secundo omine


A. M. DC. XCIV. die XIX. OCTOBR.

celebratis,

DICABAT

gratulabundus

M. Marqvard.



THORUNII,

Imprimebat Johannes Balthasar Bresler.

PATĒRE
NOBILISSIME DOMINE,

Ut clientelaris calamus
Plura TIBI unō exsolvat & repræsented obsequiō.
Primas Nuptias, Secundos Honores TUOS
Mihi soli sinē honore fuisse
(Si bis peccasse licet) ignosce,
Et æquiori dignare judiciō, quōd in præsens
Vota pro Secundis Nuptiis, primis quondam Fascibus
Solvimus & debemus.

Scilicet

Scitē Superi vicissitudines humanas temperant,
dum sorti se nostræ attemperant.

Tonat Cœlum ut sit serenius,
serenum est, ut confestim tonet.

Pensantur injuriæ cum amœnitatibus,
& semina utriusq; sub diversa specie latent.

Non devitasti inevitabilem hunc Orbem

VIR AMPLISSIME;

Sed nondum post BENIGNAM parū benigno
fato raptam

Benignissimum Numen adeō TIBI irascitur,
Orbatæ novercatur proli,

quin post luctum lectum denuō sternat genialem,
breve gaudium breviori mœrore mutatum
duraturis pensaturum deliciis.

Miror Secundas Nuptias multis honestissima insigniri
scelera;

Sed mirari desino mirabilem temeritatem,
quōd qui primarum osiores, arrosiores secundarum:

Enimverō rigidiorē LL. innocentiam eludere,
& propitiā Themide secundis patrocinari nuptiis,
non ludus; sed majoris res est otii & negotii.

Irreligiosum inter busta extinctæ conjugis novas
succendere tædas,

& post lamentabiles nœnias lætum ingeminare
Thalassionem.

Nem-

Nempe

* Odiosa res Secundæ Nuptiæ Sacratissimis Impp.
optimumq; censebatur consilium, permittendo vetare.

Hinc queis malè interdicere audebant,
ne pejus quid palam fieret, quibus impares imperantes
pessimè contrahi, digamos discere voluerunt & dediscere.

Sed non moraris supersticiosam LL. castimoniam

VIR ꝯ. CONSULTISSIME:

Vel enim præminentes TUÆ Virtutes odia Legum
favorabilia facerent;

Vel si Lex quantumvis dura servanda
REGINÆ, cujus innecteris connubio, supra Leges essent.

Quippe

ita meritis es de Legibus, ut ne observari in TE mereantur

Quæq; ingenii TUI præpollentis vires exercuerunt,
invalida paulisper sint & sinè viribus.

Cedat Ratio LL. semel rationibus TUIS,

& fas est TE eas non stringere
quæ multoties distinxere.

Sed vastior TUA *VIR AMPLISSIME* Virtus,
ut angustis Augustissimorum Impp. sancitis terminaretur.

Scrutatus est Imperantium & parentium officia,
ut utrisq; defungereris.

Penetrâsti secreta Rerumpublicarum,
quò secreta Reip. Patriæ meliùs nosse.

Increvit cum Dignitatibus Patriæ amor,
cui præesse & prodesse satagis.

Patriæ Patrimonialibus bonis eorumq; calculis præfectus,
prudentissimo Plinii consilio edoctus,

discis calculum cum Republica ponere.

Habent apud TE pretium evilescentes Musæ;

TU ipsis sinè pretio æstimabilis.

Suscipis & suspicis in sinum quoq; TUUM refugientes,
ut gratulari sibi possint de TANTIS ANTISTITIBUS.

Vereor plura persequi, quæ Moderatio TUA subducit,
& famâ loquente silendo reveor.

Sed fors labor, dum ad Virtutes TUAS prolabor:

Favo-

* Odium Secund. Nupt. liquido patet ex toto Tit. C. de Secund. Nupt.

Favorem interpretor Juris, quod Prudentia TUA veriùs est,
quando providentiâ TUA antevertis providentiam Juris.
Favor liberorum eblanditus Augustis odium Secund. Nupt.;
TIBI amor orbatae prolis extorsit odium orbitatis,
Sicq; amicabili nexu junxisti non combinanda in Jure
Favorem & Odium.

Superinducis post BENIGNAM matrem, benignam Novercam
neque novercalibus insidiis soboli,
neque maritalibus delinimentis TIBI timendam.
Implebit Illa nomen REGINÆ non imperando;
sed parendo,
hâc solâ ambitione contenta, superiorem pati.
Congruens Ipsi maximè splendor spernere adscititium
apparatum,
Suisq; tantùm niti præfidiis, Virtutibus.
Exsplendescit inter eas Pietas, Virtus Virtutum omnium
altrix & compendium,
metuq; Numinis contra quemvis metum munitissima.
Involve cæteras silentii peplo,
Abundè est, quòd TIBI nubit.
Amabit tenerrimam prolem, & à TE amabitur:
Reget REGINA flexibilem ejus ætatem,
& facilis à TE regetur.

Quare

Secundas Nuptias TUAS, secundas ominamur,
Et non vana Junoni Lucinae; sed Cælo figimus Vota,
VIR AMPLISSIME.

Vivite diutissimè felices, omni prosperitate perfusi,
& serenos semper numerate Soles.

Vivite concordés, eundemq; statuite terminum amori,
quem DEUS vitæ.

Nunquàm inimica connubiis inter VOS exardescant friguscula,
degeneres feralis Erinnyes partus;

Sed non nisi lethale frigus ardentissimum serò præstingvat
affectum,

Et beatissimum conjugium beatiori mutet

Æternitate.

